

apostolis petitis idem reverendus pater respondit, se velle dare apostolos super appellatione huiusmodi in termino iuris vel infra quandocunque. Subsequenter vero — die — lunae decima mensis Aprilis hora vesperorum vel quasi — coram memorato — domino Johanne episcopo Merseburgensi comparuit Nicolaus Wurzen procurator substitutus dicti domini Wernheri et eo nomine procuratorio — et apostolos tales quales sibi super praescripta appellatione dari et exhiberi deberentur iterum instanter petiit et postulavit, et tunc — dominus Johannes episcopus apostolos, prout in quadam papiri dationis apostolorum cedula infra scripta plenius continetur, tradidit dedit et assignavit, cuius tenor sequitur in hunc modum: Appellationi tuae frivolae non deferimus. De et super quibus omnibus et singulis idem Nicolaus Wurzen procurator me notarium publicum requisivit, petens sibi desuper confici instrumentum seu instrumenta publicum seu publica —. Acta sunt haec etc. praesentibus ibidem in primo actu venerabili et honorabili viris dominis Nicolao Slendorff decano ecclesiae sancti Sixti et Theoderico Leymbech perpetuo vicario in ecclesia cathedrali Merseburgensi, in secundo vero actu Johanni Dreßlere et Conrado Honberg presbytero et clericis Merseburgensis et Maguntinensis diocesum testibus ad praemissa vocatis pariter et rogatis.

Et ego Henricus Syle clericus Maguntinensis diocesis publicus sacra imperiali auctoritate notarius etc.

Nach der Handschrift Rep. II. fol. 10^a. fol. 28 in der Stadtbibliothek zu Leipzig.

No. 285. 1452. 14. Apr.

B. Johann von Mersburg vermittelt einen Vergleich zwischen dem Cleriker Werner Geverdes und dem Rath zu Leipzig.

In nomine domini amen. Anno nativitatis eiusdem millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo indictione quinta decima die Veneris decima quarta mensis Aprilis hora tertiarum vel quasi pontificatus etc. in reverendi in Christo patris et domini domini Johannis episcopi Merseburgensis ac mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum praesentia personaliter constitutus in aestuario novo hiemali curiae episcopalis eiusdem discretus Andreas Conow procurator honorabilis domini Wernheri Gheuerdiß Bremensis diocesis habens duo mandata distincta, unum ad agendum respondendum et appellandum in causa seu lite, quae inter circumspectos viros Johannem Thummel, Johannem Sydenheffter, Theodericum Kolkewicz, Johannem Bruser, Johannem Stanghen, Johannem Knappen, Nicolaum Moller, Johannem et Michahalem Wißbart fratres et Nicolaum Czicz proconsules consules et familiares opidi Lipczensis Merseburgensis diocesis ex una ac praedictum dominum Wernherum partibus ex altera de et super quibusdam iniuriis diffamationibus ac manuum violentarum iniectionibus hinc inde ante annos decem ut dicebatur illatis vertebatur et specialiter commissa fuerat a sede apostolica praememorato domino episcopo Merseburgensi decidenda et fine debito terminanda, aliud vero mandatum habuit speciale ad concordandum et ad transigendum, quod lectum fuerat coram domino episcopo et aliis viris fide dignis habuitque tractatus praedictus procurator